



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita Et Morib. Ignatii Loiolæ, Qvi Societatem Iesv
Fvndavit, Libri III**

Maffei, Giovanni Pietro

Dvaci, 1585

Nauigat in Jtaliã. Cap. XII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44004

Eius porro comparandæ gratia, certum sibi esse non modo sine viatico, sed etiam sine comite iter id ingredi; quod clare perspiceret, si, qualia multa possunt homini accidere, peregrinanti præsertim, sibi quidpiam euenisset, fieri non posse quin aliqua saltem ex parte comitis præsidio fideiq. confideret: proinde quidquid in eo spei locasset, id utiq. ex ea detractum in fiducia, quam totam in vno Deo clementissimo parente ac rectore vellet esse repositam.

Navigat in Italiam. CAP. XII.

N Ac igitur mente sub initiū anni M. DXXIII. magno omnium dolore Minoreffa profectus venit Barcinonem, vt in Italiam ex eo loco trajiceret. cumq. peropportune paratam ibi nauem offendisset, egit cum nauarcho suppliciter, vt se mendicum egentemq. gratis admittere ac transportare ne grauaretur. cui naulum quidē ille se remissurum promisit; ea tamē conditione, vt nautici saltem panis, quod erat necessarium, secū inferret. Eo responso cū vehementer angeretur Ignatius, quod commeatus copiam quāuis exiguam, cerneret inopiæ illius quam sibi summā proposuerat, legibus aduersari; post multas anxiasq. cogitationes totam rem denique permittere statuit arbitrio sacerdotis, quē sibi paucis illis diebus Barcinone, tum suæ conscientiæ iudicem, tum interpretem diuinæ volūtatis elegerat. Ille re cognita, Ignatio respondit, æqua postulare nauarchum, proinde non resistēdum esse, nec vero timendum, ne si cibaria, tam vilia præsertim ac necessaria, sibi parauerit, quidquam idcirco contra consiliū perfectę paupertatis admittat. Tum Ignatius

tius quamquam soluto vixdū religione animo, tamen partim sacerdotis impulsu, partim etiam metu occasionis eius amittendæ; emendicata de more pecunia, panes in nauem imposuit, & ne quid præterea secum inferret, paucos qui superfuerant nūmos reliquit in ipso littore: deinde solutis anchoris die quinta Caietā non minus periculosa quàm celeri navigatione delatus, Romam pedibus iter intēdit ac prima nocte diuertit ad villam militibus refertam; quibus nefaria quædā ac turpia molientibus tanto animi ardore ac vociferatione se obiecit, vt illi partim verborum pondere, partim constantiæ miraculo obstupefacti, à flagitioso conatu destiterint. Inde laboribus maximis, cum sequente per eos dies pestilētia luridus ipse ac macilentus, tectis fere atq. oppidis arceretur, deniq. in vrbem Romā haud ita acriter custoditam, lassitudine ac fame pene confectus introiit ipso Dominico die Palmarum. cumq. venerabūdus religiosissima quæq. loca obiisset, Adriani VI. Pont. Max. pedes exosculatur. Mox parāti Venetias ire, vt in Palæstinam inde transmitteret; rursus Hispani amici nonnulli, qui Romæ eo ipso tempore versabantur, profectionem dissuasere cum aliis rationibus, tum præcipue nauigationis lōgæ & infestæ periculis proponēdis. quippe cum paulo ante per summū nominis Christiani æque damnū ac dedecus, Turca Rhodum insulā expugnasset, quo nuntio videlicet omnis Italia cohorrerat. Sed cum Ignatius ab instituta peregrinatione nullo terrore posset abduci; illud saltē hortari & orare institerūt, ne se daret in iter eiusmodi sine pecunia, tū in alios vsus necessaria, tum utiq. ad naulum pro transmissione soluēdum. nam vt Venetias emédicato victu peruenisset, quæ deinde ratio,

C iiij

quæ

quæ spes homini externo & ignoto foret, in tam re-
 motas regiones traiectum nanciscendi gratuitum?
 Proinde recte amiceq. suadentibus ne resisteret, iu-
 uariq. se in Christi gratiam aliquo saltem viatico pa-
 teretur. Cum hæc, & alia eiusmodi asseuerantes pariter
 ac miserantes ingererent; sapius eadem iterando, cun-
 ctantem ac tergiuersantem denique perpulerunt, vt
 in ipso discessu aureos aliquot nummos acciperet.
 quo ille subsidio oneratus verius quàm instructus,
 non multum processerat viæ, cum rem totam attète
 contemplans, seq. ipse accusans grauiter, quòd de fi-
 ducia diuina humano metu se deijci, fixumq. pauper-
 tatis propositum oblato auro passus esset infringi;
 parum abfuit quin omnē pecuniam illico indigna-
 bundus abijceret: sed quia id prodigum, ac Deo in-
 gratū fore videbatur, decreuit certe in obuios pau-
 peres paulatim infumere. quod cum alacriter præsti-
 tisset, breui & nummis omnibus vacuus, & stimulis
 conscientie liber euasit. Pergentem porro Venetias,
 eadem quæ supra memorauimus incommoda & dif-
 ficultates itinere pæne toto vexarūt. Sæuiebat etiam
 tum locis aliquot fœda lues atque contagio; dispo-
 sitiq. custodes aditus oppidorum assidue tuebantur.
 Ignatium vero ex ipso corporis habitu vel in summa
 cæli temperie metuisses. Obsita erat squalore vestis,
 & horrida; color ex sanguis; caui macie caput; con-
 diti introrsum oculi; & inanes faucium sinus. quo-
 circa fiebat, non solū vt exclusus à diuersis omni-
 bus pernoscere sæpe cogeretur in publico, sed etiam
 vt pallore & macie peremptum, rigentemque, præ-
 rereuntes aliquando nonnulli ceu monstrum quod-
 dam aut triste simulacrum horrerent. Ipse vero lin-
 guæ imperitus, ignarus itinerum, cum prædefatiga-
 tione

tionē sæpe deficeret; ad Fossam tamē Clodiam Deo adiuuante peruenit, quo ex emporio breuis & quotidianus Venetias traiectus est. Ibi certior factus à viatoribus, obseruari Venetiis omnia diligentissime, & è suspectis præsertim regionibus veniētes accessu prohiberi; flexit inde itinere terrestri Patauium, quorumdam consilium sequutus, qui idipsum periculi metuentes, faciliorem sibi ex ea vrbe Venetias transitum fore sperabant: iidemq. Ignatium adiunctum sibi comitem, præ imbecillitate haud ita æquantem gradus, in campis circumpadanis repente destituunt, vnius ope Christi subnixum: qui sane pro sua infinita clementia laboranti seruulo in tanta solitudine minime defuit, sed proxima nocte sese illi, quemadmodum antea sæpe fecerat, visendum obtulit; recreatumq. mirifice, intra ipsa Patauina mœnia primum, deinde Venetias sine vlllo errore aut difficultate perduxit. nemo quippe ex Patauinis custodibus ad portas, nemo ex Venetis exploratoribus ad insulas frequentiores appropinquantem (cum nauim ingressi de more singulos vectores diligenter excuterent) Ignatium nulla munitum valetudinis tessera, ne appellauit quidem; mirātibus, cognita postmodum re, Clodianis desertoribus illis; quibus per adulterata videlicet symbola introitus in vrbem vtramq. non sine magna vel sollicitudine, vel contentione patuerat. Venetiarum vrbis, in recessu intimo sinus Adriatici, ea regio ac situs est, vt leniter stagnantes ex alto aquæ illam ex omni parte circūluant. ea inclytæ vrbi & ad merces copiasq. inuehēdas opportuna receptacula, & contra hostiles incursus munimenta firmissima sunt. Ex iis porro æstuariis, maiores minoresq. euripi totam vrbem interkursantes, variis mæandris ac flexi-

ac flexi-

ac flexibus ita distinguunt, vt, quot in partes pedibus, in totidem fere mari aditus sit; egregio sane vel artis, vel naturæ miraculo. Inde vicorum, insularum, ac pontium ingens numerus: vt qui diutius ibi versati non sunt, viarum locorumq. modo varietate, modo similitudine sæpe fallantur. Sed contra eiusmodi ambages, certum paratumque remedium est maxima multitudo cymbarum, quæ vsquequaq. dispersæ, nominatim ad omnia & publica & priuata loca quemlibet haud ita magna mercede traiciant. Ignatius naui Patauina, ex iis quæ per Medoacum flumen assidue commeant, in area Marciana sub noctem expositus, cum neq. vias ad publica xenodochia nosset, nec portitori conducendo suppeterent nummi; assuetus longo iam vsu male cubare, sub porticu Procuratoria, quam appellant, intendentibus iam se tenebris, vacuum opificis cuiusdam fulcrum elegit, in quo fessos artus vtrumq. reficeret. Tenet fama, litterisq. multorum est memoriæ traditum, dum ille ibi noctem exigeret, vicinum senatorem cælesti voce excitatum, increpitumq. quòd in multa veste, molliq. strato decumberet ipse, cum interim Dei famulus peregrinus non longe à vestibulo illius ædium iaceret in publico pauper, & omni humana ope ac solatio destitutus. itaq. ingenti metu & horrore perfusum prosiliisse confestim, & questum diligenter Ignatium excepisse perhonorifice. Sed ille postridie cum in amicum veterem Cantabrum incidisset, à lautiore hospitio se ad eum familiariter transtulit.

Nauigat